

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Ex Literis D. Laurentii Tuppü,

ad

Michaellem Gifium.

de Gallia statu, in hoc tempore perturbatissimo, longum
esset & lamentabile perferbere, ut postremus Valesia familiae Rex Henricus, supe-
riore Julio Mense miserabiliter perierit, cultro venenato interfectus à Monacho
vilissimo, quem imprudens in colloquium solus admiserat solum. Paulo ante hanc
tragediam versiculi quidam fatidici circumferebantur, quos ajunt repertos fuisse in
Monasterio ad Sanctum Victorem propè Lutetiam, scriptos ante annos sesquicent-
tum, eos subijcio, ut ipse annotavi menses aliquot ante tragicum Regis casum:

Dum Rex Henricus regnabit, origine natus,
Hic Rex, bis factus tam re quam nomine dictus,
Lilia vir fortis propriis evellet ab hortis,
Rex cadet & vulgus militia Francica Clerus,
peste fameque siti flammâ ferroque peribunt.

..... Literæ scriptæ Calend. Septembr. c15 15 LXXXIX.

LXXXVI.

Laurentio Tuppio.

Cum primum scribendi ad te mihi data fuit occasio, Clarissime Domine Do-
ctor, nolui eam negligere, sed te certiore facere, de mea profectioe & de
statu meorum negotiorum. Veni Augustam salvus & incolumis quarto Calend.
Septembr. itinere non usque ad eò commodo, cum propter nimios calores, tum lon-
gitudinem miliarium, quæ in agro Wirtembergensi sunt. Adde etiam diversoria,
in quibus si à morositate atque avaritia quis recesserit, quæ commendat, pauca repe-
riet. Sed omnem mihi molestiam urbis ipsius aspectus absterfit, quæ omnibus iis à
rebus præclarè instructa parataque videtur, quibus benè constitutæ florentisque ali-
cujus Reipublicæ felicitas æstimari solet. Solum circa Urbem cum primis bonum
ac fertile est, tantæque ubertate atque copia fruges & fructus profert, ut nihil ipsi de-
esse videatur, quam vinum, quod tamen abunde advehitur. Nihil ego de ædificiis
scribo privatis, nihil de palatiis magnificis, in quibus summam splendorem & magni-
ficentiam cives adhibent, nihil de munditie, nihil de conviviiis sumptuosis, silentio
venustatem involvo, prætereo comitatem, omitto familiaritatem & festivitatem,
quibus

quibus urbs ita referta est, ut non male Germaniæ decus nominari posse videatur. Quæ omnia persequeretur copiosius, nisi metuerem, ne in volumen epistola excurreret. Hospitium nactus sum apud nobilissimum Dominum Antonium Hoermannum, avum unius ex meis discipulis. Ubi humanitatem atq; benevolentiam singularem experior. Large omnia mihi pollicentur ii, quibus à Domino Lobbetio commendatus fui. Reliqua etiam ad voluntatem fluunt, ut sumas gratias agam Domino Doctori, qui me domi ad focum delitescentem aliquando extruserit. Quod ad conditionem meam attinet, tam benevolos & faventes mihi Dominos Hoermannos animadverto, ut recusare non possim, quin volens recipiam curam & onus trium discipulorum ingenuorum adolescentulorum, stipendium annuum est 60. florenorum. Parentes constituerunt eos quamprimum in Italiam ablegare. Quamvis conditio altera, quæ mihi à Nobilissimo Dn. Zacharia Geitzkoflero oblata erat, potius accèptandâ fuisset. Nam unicus filius Domini Relingeri pro stipendio annuo ad minimum dedisset 100. taleros, ut ex Dn. Geitzkoflero intelligere potui: tamen cum animadvertere facile potuerim, Dominum Lobbetium imprimis cupere, ut Domino Hoermanno inserviam, nolui hac in parte ipsi refragari: spero equidem me & honorem & fructum qualemcunque inde consecuturum. Literas, quas mihi discedenti dedisti, ad Clariss. & Nobiliss. Dn. Lucam Geitzkoflerum, lubens tradidissim, sed cum cognoscerem, eum Pragæ esse apud Imperatorem, nec tam citò reversurum, Dominus Hoermannus sua gratia eas Pragam misit ad Dominum Auzel, Secretarium Regis Galliarum, ita ut non sollicitus esse debeas, quin certo illas acceperit. Optime vale & feliciter vive, patrone plurimum colende. Augustæ Vindelicorum, 7. Idus Septembr. Ao. 90.

T. Subjectis.

Alexander Lingelshemius.

A pag. 813. hucusque, manu Roberti Robertini descripta sunt omnia ex autographis, quæ nobiliss. Dn. Melchior Sebizius, Med. Doct. & Prof. Acad. mecum communicavit, anno 1629. mense Januario.



LXXXVII.

S. à DEO Patre, per Jesum Christum.

Civis ille vester, qui hæc literas ad te allaturus est, ut spero, in eo vico & natus est, & educatus, in quo nunc ego, DEI beneficio, Ministrum Ecclesiæ
 YYYYY 2 D. N.